

Dissertatio historico-medica inauguralis de morte nigra, pandemia seculo XIV / [Arnold van Gennep].

Contributors

Gennep, Arnold van, 1873-1957.

Publication/Creation

Leyden : P.H. van den Heuvell, 1846.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n27mw4jd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MAATSCH.
T. B. D.
GENEESK.

N^o.

1101

D.

A. VAN GENNEP.

Dissertatio

DE

MORTE NIGRA.

1866
NEDERL. MAATSCHAPPIJ
TER EYVOR. DER
GENEESKUNST.

G

X

6
19

Ms. G. 707.

RECEIVED
MAY 10 1871
NEW YORK

24246/P

24246/P

LIBRARY OF THE BUREAU OF LAND MANAGEMENT

BOZEMAN, MONTANA

1968

G x b₁₉

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

M O R T E N I G R A ,

PANDEMIA SECCLO XIV.

DISSERTATIO D. JOHANNIS C. W. DE WILHELMIS

MORTE N. I. R. A.

LONDINI PUBLIS. XII.

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

MORTE NIGRA,

PANDEMIA SECCULO XIV,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS HENRICI SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. ET THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

ARNOLDUS VAN GENNEP

ROTTERODAMENSIS.


AD DIEM XXIV M. SEPTEMBRIS MDCCCXLVI, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD P. H. VAN DEN HEUVELL.

MDCCCXLVI.




M O R T N I G A

L A N D I N G S E C U R I T Y



A R N O L D U S V A N G E N E P

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.



PIAE MEMORIAE

PRAESTANTISSIMI VIRI

ARNOLDI VAN GENNEP,

PLURIMIS, CUM VIVERET, IN REPUBLICA MAGISTRATIBUS ORNATI,
ORDINIS LEONIS BELGICI 1^{AE} CLASSIS EQUITIS,

AVI CARISSIMI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

Auctor.

In groszen Seuchen offenbart sich die allwaltende Macht, welche den Erdball mit all seinen Geschöpfen zu einem lebendigen Ganzen gestaltet hat. Die Kräfte der Schöpfung treten in gewaltsamen Widerstreit: die trockene Schwüle des Lüftkreises, die unterirdischen Donner, die Nebel der Uebertretenden Wasser verkünden Zerstörung, der Natur genügt nicht der gewöhnliche Wechsel von Leben und Tod, und über Menschen und Thiere schwingt der Würgengel sein flammendes Schwert.

HECKER.

L. S.

En, Benevole Lector! Dissertationem, quam quo modo a te acceptam velim, paucis praemonebo. Non magnum erit, ut vereor, illius pretium historicum. Paucos enim contigit investigare fontes, praeter illos, quibus iam usi erant alii. Nonnullos tamen inveni, quaeque ex iis hausi, religiose trado. Summa porro mihi ex huius materiei elaboratione fluxit voluptas, summumque emolumentum, quae adhuc aucta fuissent, nisi festinationem monuisset breve, quod supererat, temporis spatium. Ita enim nos facti sumus, ut curriculi Academici terminum, quemadmodum longissime distare semper cupimus, sic etiam distantem nobis fingamus. Serpit interim tempus et supervenit inopinantibus.

Mos fert, ut, curriculo illo absoluto, gratias agamus Professoribus, quorum gavisi sumus institutione. Equidem eo lubentius bono mori obtempero, quo magis sit consentaneus iis, quibus nunc commoveor, affectibus. Nunquam, Viri Clarissimi! beneficiorum a vobis acceptorum immemor

ero: opera vero vestra me non indignum praestare, semper studebo; quominus autem in posterum promissa excipiam factis, vires fortasse impediunt, at voluntas non deërit unquam.

Tibi vero prae caeteris hoc dictum sit, Promotor Aestumatissime, Clarissime PRUYS VAN DER HOEVEN! Multa me tibi debere, gratus agnosco. Ingenii tui acumen et eruditionis copiam praedicare, imperitum iuvenem non decet, at silere non possum singularem istam, qua me nunquam non excepisti, humanitatem animique benevolentiam, qua me non solum in domesticam tuorum admisisti familiaritatem, sed et ibi ad studiorum amorem me excitabas semper.

Tu denique mihi valedicendus es, Amicissime G. H. VAN VOLLENHOVEN! quocum per undecim annos dulcissima iunctus fui consuetudine. Una olim tironum indignati sumus nomen probrosum; una nunc honorifico Doctorum titulo gloriabimur. Iam instat momentum, quo nos fata disiungent. Nova, ad quae te convertis studia, fructuosa tibi fore et iucunda, toto pectore spero. Ne ex animo tuo, caeterorumque nostri sodaliti sociorum, deleatur memoria mei.

DE MORTE NIGRA

PANDEMIA SEculo XIV.

Mors magna, Mors nigra, verosimiliter sic dicta a pustulis gangraenosis nigrisque maculis in cute apparentibus, vel a nigro colore, quem statim post mortem induere solebant cadavera, fuit ingens pestilentia, quae seculo decimo quarto, repetitis vicibus, praesertim autem ab anno 1346—1349 in Asia, Africa, et Europa grassata est: in Europa quartam incolarum partem abripuisse ferunt historici.

Jam ipse morbi nomen indicat, eum neque pertinuisse ad epidemias vulgares, nec communi symptomatum syndrome fuisse stipatum, quibus aliae pestes alio tempore insigniri solent.

Et revera, sive illa spectemus, quae praegressa sunt, sive cogitemus, vel formam, qua morbus prodiit, vel hominum jacturam, vel eventus comitantes, sive denique reputemus turbas, quas in animis mortalium produxit, non desiderabimus argumenta, quae testentur illorum temporum ingenium rude et superstitiosum, ac aevi medii obscuritatem.

Morbi Causae.

Investigantibus ea, quae, etsi pauca, de seculo decimo quarto notata restant, apparet jam diu ante morbi eruptionem naturam ipsi praeparasse et ortum et alimentum. Multa quidem, monente Sprengelio, nimia audacia relata, nimia credulitate sunt accepta, sed et ipse et caeteri historici conveniunt de inundationibus, de terrae motibus, similibusque, quibus annis praecedentibus et Asia et Europa vexati erant, calamitatibus. Sic anno 1333 ¹⁾ torrida commemoratur siccitas

¹⁾ Deguignes, Histoire Générale des Huns, des Turcs, des Mogols etc. Tom. IV. Paris. 1758. Cf. Cl. Hecker: Der schwarze Tod im vierzehnten Jahrhundert. Berlin. 1832 p. 15 seqq.

in imperio Sinensi, eamque secuta annonae caritas: imbres dein tanta copia, ut plus 400,000 hominum aquis perirent. Terra eodem anno movebatur vehementer, et anno 1334, post magnos calores, pestilentia nata est, qua quinquaginta centena millia hominum interierunt. — Non multi menses post, alia orta est terrae convulsio, cuius effectus non minus, quam prioris illae, fuit perniciosus. Notatu dignum est, saepe iisdem annis in Europae regionibus multis similia accidisse. Anno enim 1333 eruptionem montis Aetnae commemoratam invenimus, et anno 1336, quum denuo nonnullae Sinae regiones inundationibus vexabantur, in Gallia septentrionali multa meteora et hieme venti ac procellae sunt animadversa. Anno 1337 secundum annales sinenses quadraginta centena millia hominum mortui sunt alimentorum inopia, dum simul inundationes, magnae locustarum copiae, perque sex dies terrae motus perpetui, gravius damnum afferrent: eodem anno in Francia primum apparuerunt locustarum examina, quorum vastationum non insontem habuisse homines cometam suspicamus, cuius ipso hoc tempore mentio fit.

Anno jam 1334 in quibusdam nostrae patriae

partibus, multi homines et animalia tempestatum et aquarum vi perierant ¹⁾. Anno 1338 per decem dies subsequentes regio sinensis *Kingsai* dicta, terrae convulsione quassabatur, dum infelici segete tristaretur Gallia ²⁾. Horum malorum in Sina non fuit finis ante elapsum annum 1347, quum interim probabiliter non parcebatur caeteris Asiae regionibus.

Annus autem 1348 in Europa praegressos superabat furore. Pestilentia pulcherrimam insulam Cyprum jam interea ab Oriente invaserat, et magnam effecerat stragem, sed quasi hoc non sufficeret, terra movebatur, ventusque pestilens

¹⁾ In den jaer ons Heeren MDCCCXXXIV op die maent van November op Sinte Clemens-Dach, verhief dat zeewater also hoghe, dattet over alle diken ghinc, so groot storm wast van winde, van donre, ende van blixeme, so datter vele beesten en luden verdroncken, en veel dorpen vergingen bi der zee, in Vlaenderen, in Zeelant, in Hollant, ende in Vrieslant mede. Vid. Antonius Matthaeus, Juris in illustri Acad. Lugd. Bat. antecessor. Lugd. Bat. 1701. Tom. V. Chronicon auctius Joannis de Beka p. 222. et p. 229. ibid. In den jaer ons Heeren MDCCC en XLII voersz des anderen daghes van Januarius gesciede een eertbevinghe in Hollandt, die voerteickende in corten jaren daer na comende plaghe als ghy hierna horen sult.

²⁾ La France était misérablement tourmentée en toutes façons. Elle avait souffert une horrible famine l'an 1338, et depuis ce tems-là les courses des gents de guerre avoient tousjours causé une grande cherté de vivres dans tout le royaume. Vid. Abrégé Chronologique de l'histoire de France par le sieur de Mezeray. Amsterdam 1683. Tom. III. p. 32.

foetorem spargebat tam venenatum, ut incolarum multi terra prosternerentur, et repente animum efflarent. Sic tota insula prorsus fuit eversa.

Talem nunc vaporem veneno gravidum hinc inde et per Europam vagatum esse perque alias terrae partes, testificantur historici ¹⁾; mentionem simul faciunt de locustis aliisque insectis ²⁾, quorum morsus venenosus erat, quae-

¹⁾ Coelum ingravescit: aer impurus sentitur: nubes crassae ac multae luminibus coeli obstruunt, immundus ac ignavus tepor hominum emollit corpora, exoriens sol pallescit. Chalin. de Vinario: De Peste Libr. III. opera Jacobi Dalechampii in lucem aediti. Lugduni 1552. p. 50. Et Mezeray l. l. p. 32. Elle (la peste) commença au Royaume de Cathay, l'an 1346, par une vapeur de feu horriblement puante, qui, sortant de la terre, consuma et dévora plus de deux cents lieues de pays, jusqu'aux arbres et aux pierres, et infecta l'air en telle sorte, qu'on en voyait tomber des fourmilières de serpentaux et d'autres insectes venimeux.

²⁾ A Sébastia les pluies furent accompagnées de la chute d'une énorme quantité d'insectes, noirs, à huit pattes, avec une queue, les uns morts, les autres vivants; la piqure des derniers était vénimeuse, la corruption des premiers infectait l'air. Vid. Sismonde de Sismondi: Hist. des rép. Ital. du moyen âge. Brux. 1826. Tom. IV. p. 247.

Annum 1351. spectat haec relatio Pontani: Erupit tunc quoque a Septentrione foedus vaporum fumus, qui plurimos mortalium exterruit, praesertim cum animalcula inde enata, quæ sata passim depasta sunt. Joh. Isaci Pontani. Historiae Gelricae Libr. XIV. Hardervici Gelrorum 1839. Libr. VII. p. 262.

Cfr. et Heckerus l. l. p. 18. So waren auch viel Hewschrecken gewesen, die der wind mit einem Sturm ins Meer geworffen, und darnach das Wasser wider todt aussgeschlagen hatte, davon ein böser, fauler Stank entstanden, daher die Luft sehr vergiffet worden, und hat man klar

que mortui aerem atmosphaericum corruppebant.

Die dein 25^o m. Januarii terrae convulsio facta est vehementissima in Graecia, Italia, terrisque affinibus, qua urbes Neapolis, Roma, Pisa, Bononia, Pavia, Venetiae multaeque aliae multum passae sunt: vinum hac occasione in doliis turbidum factum esse dicitur: quinquaginta perierunt pagi. Basileam usque terrae motus sentiebantur ¹⁾ et iterabantur versus annum 1360 per omnem Germaniam, Galliam, Silesiam, Poloniam, Angliam, Daniam, et terras magis versus septentrionem sitas ²⁾.

Diversis simul locis apparuere meteora magna et insueta. Sic legimus apud Heckerum de co-

am Himmel gesehen, wie sich ein grausamer, zuvor ungewöhnlicher Nebel, von Morgen am Himmel hergezogen, und in Welschland nieder gelassen. Mansfeldische Chronica, durch M. Cyriac. Spangenberg, Eisleben 1572. fol. Cap. 287, fol. 336. b.

¹⁾ Hecker l. l. p. 21. Nonne igitur hunc annum spectant, quae refert Pontanus l. l. Notant chronologi pluribus per idem tempus locis terram tremore concussam, et inter cetera Helvetiorum claram urbem Basileam adeo motu agitatam, ut paene corruerit, et extra eius pomœria in vicino arces aliquot ruina deiectas.

²⁾ Cf. Hecker, p. 21 in adnot. Un tremblement de terre universel, mesme en France et aux pays septentrionaux renversait les villes toutes entières, déracinait les arbres et les montagnes, et remplissait les campagnes d'abysmes si profondes, qu'il semblait, que l'enfer eût voulu engloutir le genre humain.

lumna ignea, quae die 20^o Decembris Aⁱ 1348 cernebatur Avinione supra aedes papales. Anno 1337 in nostra patria se ostenderat cometes, ¹⁾ et anno 1348 m. Augusto similem viderunt vel videre crediderunt, non procul a Parisiis ²⁾.

Horum phaenomenorum plura, hominum credulitati et inculto seculi genio esse adscribenda, nullum est dubium, et verosimiliter terror, animis inhaerens, perpetuis malis afflictis, semper miracula cogitavit et inaudita finxit. Nemo tamen est, qui non agnoscat, notabiles in atmosphaera et in terrarum gremio turbas sufficere potuisse ad pestilentiam procreandam, et conferre debuisse ad eam alendam, ubi naturale inveniebat seminium, sive hoc ponamus in peculiari dispositione organorum spirandi, sive in sin-

¹⁾ In den jaer ons Heeren CIOCCCXXXVII openbaerde in der luchten een sterre, die sonderlinghe claer was, die men *Cometa* hiet. Matthaeus l. l. p. 222.

²⁾ Au mois d'Août de l'an 1348, il parut sur la partie occidentale de Paris, une sorte d'estoile ou comète, extraordinairement lumineuse, le soleil n'estant pas encore couché. Elle semblait n'estre pas fort éloignée de la terre. Le soir en suivant, on la vit bien plus grosse et qui se divisait en plusieurs rayons: mais peu après elle disparut. Mezeray l. l. p. 32. Praeluxit eodem hoc circiter tempore, sequuturis malis conspectum in coelo, boream versus, comatum sidus, exortique venti ingentes, ac simul de nocte trabs ignea ex aere in terram prolabi visa. Pont. p. 262.

gulari corporum diatesi, horum temporum producta vivendi genere, incultis moribus ¹⁾). Probabilis denique videtur sententia Heckeri, contagio morbum quidem fuisse auctum et dispersum, sed in ipsa Europa latuisse germina pestilentiae, ita ut consiliis prophylacticis preventus mali retardari potuisset, arceri prorsus non potuisset ²⁾).

Morbi Symptomata et Progressus.

Perpaucae annotationes de morbi natura et caractere a medicis tunc viventibus ad nostram pervenerunt aetatem. Quod dolendum magis, quam mirandum. Ratio enim est habenda et de tempore, rudi illo et ab omni cultura alieno,

¹⁾ Multum ad mali augmentum contulerunt structura imperfecta habitationum, platearum immundities, ac, vigente morbo, cadavera inse-pulta. Summam inprimis immunditiam Parisiis regnasse et Avinione, refert Chalin. de Vinario.

²⁾ Cf. Hecker p. 24 et 25: Die Verderbniss des Luftmeers kam vom Osten, aber die Krankheit selbst kam nicht auf den Flügeln des Windes, sondern sie wurde von der Atmosphäre nur angeregt und vergrößert, wo sie schon vorhanden war. — Vel ipsam pestilentiam non nasci sine favente constitutione epidemica jam notavit Sydenhamus.

et de impotentia auxilium afferendi, et de morbi saevitia ¹⁾, qua, qui aegrum vel eminus appropinquaret, certae ut plurimum perniciei erat addictus. Eo majorem laudem merentur, imo venerationem, ii, qui misericordia moti, indefesso labore omnes vires impenderunt in levandam miseram aegrotorum conditionem, atque pulchrum posteritati reliquerunt pietatis monumentum.

Inter hos prae aliis nominandi sunt Guido de Cauliaco et Raimundus Chalinus de Vinario, qui eodem tempore vixerunt Avinione, quorumque alter ipse morbum passus est. Prius autem audiamus Joannem Cantacuzenum, ab anno 1347—1355 imperiali potestate gavisum, cujus filius Andronicus morbo fuit abreptus. Descriptionem Thucydideam pestilentiae Atheniensis ad verbum multis locis secutus est. Hanc tamen rem illius auctoritati nihil adimere contendunt contra Sprengelium Cll. Haeser et Hecker ²⁾.

¹⁾ *Τὸ μὲν οὖν τῆς νόσου εἶδος τοιοῦτον (i. e. cum desperatione) κρείσσον λόγου ἦν.* Cantacuz.

²⁾ Cf. Kurt Sprengel, Beiträge zur Geschichte der Medicin. Halle 1794. 1sten Bandes, 1ster Stück p. 73. Die Beschreibung welche Kantakuzenus von dieser Krankheit macht, ist zu sehr nach dem Thukydides gebildet, als dasz man sie durchgängig für wahr halten sollte.

Melius hac de re constare poterit, postquam viderimus, quatenus ipsius relatio cum caeterorum congruat.

Malum insanabile dicit, neque diaeta, neque corporis robore superandum: valida corpora aequae ac imbecilla prosternebantur, et qui optime curabantur peribant aequae ac pauperrimi. Quod ad caeteros morbos, ab iis annus ille (1347) liber erat, ac si quis vel ante aliquo morbo laboraret, in hunc desinebant omnes. Neque medicorum ars ulla sufficebat, neque morbus omnibus assimilis erat, sed nonnulli statim, neque vel breviter sustinentes, eodem die moriebantur, nonnulli etiam eadem hora. Quotquot autem ad duos vel tres dies sustinerent, primum febre vehementissima, et, in caput morbo incidente, defectu vocis tenebantur, et privatione sensuum ad omnia, quae fierent, et veluti in somnum altum incidebant. Et si forte resipiscerent, loqui quidem volebant, verum aegre movenda erat lingua, et inarticulata multa proferebant, nervis in occipitio emortuis, et celerrime expirabant. Aliis non in caput, sed in pulmonem incidente malo, inflammatio continuo fiebat ad partes internas et acutos incutiebat dolores ad pectora. Sputum

emittebant, sanguine suffusum, et spiritum insolitum ac graveolens ex partibus internis: pharynx autem et lingua, calore exsiccatae, nigrae erant et cruentae: et potio frequentior et parcius eodem redibat, et insomnia urgebat semper, et inopia consilii undique erat. In cubitis supra et infra, non paucis etiam ad malas et aliis in aliis corporis partibus, abscessus fiebant, aliis majores, aliis minores, et nigrae vesiculae renascebantur. Aliis veluti stigmata nigra in toto corpore efflorescebant, quibusdam rariora magisque pellucida, aliis obscuriora et densiora: atque omnes perinde ex his omnibus peribant: aliis enim omnia accidebant, aliis plura vel minora, non paucis etiam unum ex his omnibus sufficiebat ad mortem. Quotquot autem ex multis pauci evadere potuerant, non amplius ab eodem malo corripiebantur, sed jam securi esse poterant: his enim non prehendebat, tanta vi ut necaret: abscessus vero fiebant magni ad femora, vel in cubitis, quibus incisis, sanies effluebat graveolens et multa: et morbus sic resolvebatur, rejiciens turbantem materiem: multi etiam his omnibus correpti, praeter opinionem servabantur. Nec ullum undecumque erat auxilium. Quod enim aliis proderat, hoc ipsum

alii, idem patienti, perniciosum erat, et alter ab alterius curatione morbo inficiebatur, et plurimam stragem hoc edidit, et multae domus habitatoribus erant privatae, brutis etiam una cum dominis pereuntibus. Omnium autem pessima erat desperatio: quum enim aliquis se morbo prehendi animadverteret, nulla spes salutis relinquebatur, sed in desperationem versi, se ipsi negligebant, et repente moriebantur, animi dejectione magnum momentum [periculosum] morbo addente: ista igitur morbi forma atrocior erat, quam quae verbis exprimi possit; unde maxime declaratum est, non esse aliquid hominibus familiare, eorumque naturae conveniens, sed aliud quid, a Deo hominibus illatum ad castigationem: et multi exinde meliores facti sunt castigatione, non solum illi, qui mortui sunt, sed et quotquot morbum superassent: ab omni enim vitio illo tempore abstinebant, et de virtute solliciti erant, et multi facultates suas pauperibus distribuebant, vel antequam morbus in se invaderet. Quodsi quando animadverterent se prehendi, nemo erat tam durus, quin poenitentiam demonstraret peccatorum suorum, et apud tribunal illud aliquem praetextum sibi pararet, quo a Deo salvaretur, nisi valde

insanabilem haberet, et immedicabilem animum: isto autem morbo quam plurimi tunc Byzantii interierunt, et regis filius Andronicus correptus, tertio die mortuus est.”

Secundum hanc igitur relationem triplex fuit morbi forma, prima, quae jam eodem die vel eadem hora mortem inferebat, secunda, quae altero aut tertio die necabat cum febre acuta, eamque, affecto capite, insequenti stupore, defectu vocis, loquelaе saltem, ex paralyssi nervorum; tertia denique, in qua pulmones invasit morbus cum spiritu foetidissimo, sputo sanguinis, vesicis nigris et bubonibus.

Sequitur testimonium Guidonis de Cauliaco ¹⁾. »Incepit autem dicta mortalitas nobis in mense Januarii et duravit per septem menses (aⁱ 1348). Et habuit duos modos. Primus fuit per duos menses cum febre continua et sputo sanguinis: et isti moriebantur infra tres dies: secundus fuit per residuum temporis, cum febre etiam continua, et apostematibus et anthracibus in exterioribus, potissime in subasellis et inguinibus. Et moriebantur infra quinque dies. Et fuit

¹⁾ Guidonis de Cauliaco chirurgia. Tract. II. c. 5. Cf. H. Haeser. Historisch-Pathol. Untersuch. Dresden und Leipzig. 1839. 1^{ster} Theil, p. 121 in adn.

tantae contagiositatis, specialiter, quae fuit cum sputo sanguinis, quod non solum morando, sed etiam inspiciendo unus recipiebat ab alio, in tantum quod gentes moriebantur sine servitoribus, et sepeliebantur sine sacerdotibus. Pater non visitabat filium, nec filius patrem; charitas erat mortua, spes prostrata. Et nomino eam ingentem, quia totum mundum vel quasi occupavit. Incepit autem in oriente, et ita sagittando mundum pertransivit per nos versus occidentem. Et fuit ita magna, quod vix quartam partem hominum dimisit; et inaudita, quia legimus illam de civitate Thraciae et Palaestinae in libro Epidemiarum factas tempore Hippocratis. Et illam quae accidit in subjectam gentem Romanorum, in libro de Epidemia tempore Galeni, et illam in civitate Romana, tempore Gregorii. Et nulla fuit talis. Quia illae non occupaverunt nisi unam regionem, ista totum mundum. Illae erant remediabiles in aliquo, ista in nullo. Fuit enim inutilis pro medicis et verecundosa, quia non erant ausi visitare propter timorem inficiendi. Et quando visitabant, parum faciebant, et nihil lucrabantur. Omnes enim, qui infirmabantur, moriebantur; exceptis paucis circa finem, qui cum bubonibus maturatis evaserunt.”

Duas itaque hic commemorat formas; primam nempe cum sputo sanguinis, alteram cum bubonibus, utramque cum febre. Qui priorem patiebantur, intra tres, caeteri intra quinque dies peribant. Quod dicit de morbi contagio aegrorum intuitu, vulgaris tunc temporis erat opinio ¹⁾, quam explicat Cl. Hecker ex mutata oculorum conditione, eorumque splendore squalido, cuius pestilentiae proprio. ²⁾

Abscessuum criticorum beneficium ipse in suo expertus est corpore Guido: nam peste correptus, bubone maturato et suppurato, incolumis evasit. Testis quoque morbi oculatus fuit Chalinus de Vinario, trium Pontificum, dum Avinione consisterent, medicus primarius. Quamvis Guidonis de Cauliaco aequalis, illum nullibi Chalinus commemorat. Ille enim chirurgus erat, et videntur seculum decimum quartum non minus quam nostra tempora dominatae fuisse aemulatio et opiniones praejudicatae. Nec miramur chirurgo aliquantulum movisse stomachum verba

¹⁾ Mezeray, l. l. Le venin en était si contagieux, qu'il infectait mesme par la veuë.

²⁾ Quantam vim haberent animi affectus in morbo producendo doceant verba seqq. a Sprengelio citata, p. 79. » Plus sanus formidine, quam infirmus aegritudine, mortis interitu conturbatur.»

sequentia collegae: »li enim, (chirurgi nempe)
 »cum rerum omnium imperiti plane sint, artis-
 »que suae prorsus ignari, et alioqui temerarii ac
 »praecipites, apud stolidam plebem, quae ab in-
 »doctis doctos nescit dignoscere, venerationem
 »aliquam habent, qua inflati, nihil non audent,
 »nullum non scelus patrant.»

Quod ad morbum attinet, in hujus descriptione non praetervidendum esse monet Haeserus ¹⁾, illam non tantum mortem nigram anni 1348, sed etiam sequentium adumbrare annorum, 1361 nempe, 1373, et 1382: atque hanc esse causam, cur praeter sputum cruentum epistaxin etiam memoraverit, mictum cruentum et fluxum dysentericum.

Primum de causis pestilentiae disserit, superioribus illis atque inferioribus ²⁾. Deinde sic

¹⁾ Hist.-Pathol. Unters. p. 123.

²⁾ In doctrina aetiologica de ea re, quam nos nunc dicimus constitutionem epidemicam, illo tempore attendebant praecipue ad *radicem s. causam superiorem*, et *causam inferiorem*: ad priorem pertinent »*errantium stellarum congressiones, cometarum exortus, ignium per coelum et flammaram accensiones* caet. Ad alteram: *anni tempestas, calor et frigus, humiditas, ventorum absentia*," alia. His causis conspirantibus *Pestilentia* nascitur, rite distinguenda ab *Epidemia*, quae enim soli corruptioni atmosphaericae originem debet. Quae Chalino est *caussa superior et inferior*, Guidoni dicitur: *Caussa universalis agens; caussa particularis patiens*.

pergit: »Febres septimum vix excedunt diem, servatis aut interemptis ad id tempus aegris, et plerumque eo ipso, quo corripuntur, die, aut biduo vel triduo post, vita decedentibus, pro humoris venenosi pravitate et multitudine, paucitateve, et corporum aut constantia aut fragilitate. Cum morbus tenet, aegri nusquam possunt consistere: huc illuc in lectulo sese dimoventes, ac impatienter discruciantes, vigiliis conficiuntur, vomunt, nauseant, animo linquntur. Quos malum adoritur, iis citra vel purgationis vim, vel sectionem venae, corpus lassum torpescit; nec sanguinis missione aut pharmaco levatur; utroque potius remedio languescens magis; ideoque statim vinum sibi dari aegri postulant; quibusdam sanguis exspuitur, aut naribus, alvo, mejendo rejicitur, pernicie tam subita, ut perendie aut postridie moriantur: Quidam, et fere omnes deplorati, somnum tam altum dormiunt, ut is excuti nequeat: foetent omnia purgamenta corporis, sudor, alvus, sputum, halitus.»

Addatur historia Mortis Nigrae ex libro vetusto Dionysii Secundi Colle, a Titiano Colle collecta¹⁾.

¹⁾ De Pestilentia 1348, 1350. et peripneumonia pestilentiali et maligna simul. Cf. Hist.-Path. Untersuch. p. 525.

»A partibus orientalibus usque ad nos pestilentia cum sputo sanguinis et notis peripneumoniae malignae contagiosae vulgata est: antea vero ingens fames grassabatur, quae totum Noricum Cisalpinum, et totam regionem Bellonae vastavit, hinc pestilens lues facere coepit, et tantam caedem inurere, ut fere tota provincia orba videbatur: neque medicamenta, neque ferrum juvabant: ingens ardor et febris acutissima ad quartum, raro ad septimum enecabat: sitis magna, lingua nigra et aspera, anxietas et dolor cordis, anhelitus frequens, tussis et sputamina varia, os semper apertum, deliria tumultuantia, furor, urinae turbatae, et saepe nigrae conspiciebantur, excrementa atra, adusta, melancholica et ferina, exanthemata nigra, anthraces, et foedi bubones vagabantur. Aegrotantes ob temperiem et habitum corporis, atque victum, varii varia symptomata passi sunt; alii dysenterias, ulcera in toto corpore, labrorum nasique corrosionem, pedum gangrenas et alia dira tollerabant, ob pravos succos et cibaria acria, et prava comesta, alii vero deliriis, siti, inquietudine infestabantur, et alii, aliis cruciati, interibant: aer saepe nebulosus et calidus per plures annos dire afflixit, et hanc provinciam perpetuo devastavit, e quibus Dei

gratia ego immunis evasi, cum fere exstinctus ab hoc malo viderer, et innumeris remediis liberatus fui, quae exarare et communicare civibus meis et universis libenter volo. Recordabar, cum juvenis essem, praeteritis annis vagasse aliam diram pestilentiam peripneumonicam et pleuriticam ab oriente exortam: pluribus medicamentis exhibui et ab Orci faucibus revocavi. Oh' miseram hominum vitam, unusquisque sibi medicus erat, neque pharmacopolae inveniebantur: deserta provincia, mortibus et cadaveribus plena aderat; funestum undique spectaculum."

Aliud adhuc documentum, Gabrielis de Musis, jurisconsulti Placentini, a Cl. Henschel communicatum ¹⁾, invenitur apud Cl. Haeser ²⁾. »Et primo eos quidem rigor algens, humana subito corpora commovebat, que quasi lancea perforati sagittarum pungentes aculeos sentiebant. Ex quibus quosdam in junctura brachii subter lagenam, quosdam in inguinibus, inter corpus et cossiam, ad modum cuticelle durissime grosse et quandoque grossioris, dirus impetus affligebat,

¹⁾ In Haeser's Archiv für die gesammte Medicin. Bd. II. Heft I.

²⁾ Vid. H. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medizin und der Volkskrankheiten. Jena 1845. p. 273.

cujus ardore mox in febrem acutissimam et putridam cum dolore capitis incidebant, qua nimium praevalente, aliis foetorem intollerabilem relinquebat. Aliis sputum ex ore sanguineum. Aliis inflaturas juxta locum praecedentis humoris, post tergum et circha pectus et juxta femus, et alia acerbitate precipua ingerebat. Quidam vero inebriati sopore, non poterant excitari. Ecce bulle domini comminantis. Hi omnes mortis periculis subjacebant. Quidam prima die invasionis morbi, alii sequenti die et alii pluriores triduo I vel Va die morituri cadebant. Circha sanguinis vomitum nullum poterat adhiberi remedium. — Febre discedente quandoque poterant liberari.”

Sufficient haec ad generalem morbi notionem. Ex iis, quae hucusque de morbi natura didicimus, jam efficere licet, absolvi posse Cantacuzenum accusatione Sprengelii, quasi fide foret indignus. Quae enim ex Thucydide descripsit, aequae bene ad hanc, ac ad illam pestilentiam applicari possunt, quum symptomata, quae huic propria dicit, omnia fere conveniunt cum iis, quae a caeteris de hoc argumento auctoribus traduntur.

Quas alii scriptores memorant morbi varietates, enarrabimus, ubi de pestilentiae in singulis

regionibus vastatione dicemus. Huc nunc transeamus, morbum a principio inde sequentes.

Ortum vulgo ponunt in parte Asiae orientali, in primis in Sina, huiusque regione septentrionali Cathai. Interierunt ibi secundum annales sinenses citatas a Deguignes, ¹⁾ plus 13 millionibus incolarum. Utrum tamen illa pestis omnibus nominibus cum Morte Nigra conveniat, adhuc dubium est. Peninsulam *Kiptschak*, hodie *de Krim* dictam, dein a morbo esse vexatam, affirmant aequales, et primum quidem urbem *Cafam*, a Mongolibus obsessam, ubi, testante Gabriele de Mussis, jam anno 1344 pestilentia erupit.

Initio saeviit inter obsessores, qui, postquam multi perierant, cadaveribus quasi missilibus uti sunt mortiferis, eoque modo malum et in urbe accenderunt, ita ut copia mortuorum aërem inquinaret et aquas.

A maris Caspici oris mox delatus est morbus in Asiam minorem, Syriam et Aegyptum. Ubique attulit mortem: qui in fuga salutem quaerebant, quocumque venirent, offendebant loca, pestilentia afflicta, eorumque cadavera vias implebant. Alep-

¹⁾ Histoire des Huns, etc. Tom. IV. p. 224.

po, ubi quotidie 500 homines succubuere ¹⁾, Damascus, Hierosolymum, prorsus vastabantur, ac tres tantum urbes a tanta pernicie salvae existisse feruntur. Gazae, mensi uno et semis, moriebantur 22 millia hominum et pleraque animalia. In Mare Mediterraneo naves saepe detegebantur, sine gubernatore fluitantes, morbumque accedentes, ubi pervenirent ad littora. Nuntiabatur Pontifici Avinionensi Clementi VI. in regno Turcico non minus 23,840,000 hominum interiisse. Non magnam fidem mereri hunc nuntium perhibet Sprengelius ²⁾: dubitat etiam Heckerus, simul tamen notans, non temere esse reiiciendum, quoniam multis locis, belli praesertim tempore, vel maxima hominum iactura, migratione e regione minus afflicta, quam celerrime compensari valeat ³⁾.

1) Sprengel l. l. p. 55.

2) Vid. Kurt Sprengel. l. l. p. 55.

3) Prudentia saepe opus esse in accipiendo alterius historici de altero testimonio, probare poterunt verba seqq. Sismondi, l. l. p. 253: »Celui, qui mérite le plus nos regrets, c'est Giovanni Villani, l'historien le plus exact, le plus véridique, etc., qu'eût encore produit l'Italie," comparata cum Spreng. p. 56. In einem Zeitalter, wo man das Wunderbare so sehr liebte, und so wenige Mittel hatte, Fabel von Wahrheit zu unterscheiden, konnte Johann Villani die Erzählung wohl glauben, nach welcher in einem Lande Alidia alle Männer gestorben, die Weiber aber rasend geworden, und sich selbst gefressen haben.

De Byzantio supra jam vidimus. Navibus inde onerariis in Siciliam et Italiam migravit morbus, anno 1347: ex harum nautis et vectoribus, inter quos ipse fuisse videtur de Mussis, a 1000 vix 10 sunt relictis. Hi Genuam et Venetiam appulsi, domum reverterunt, et gravi morbo afficiebantur, quem amplexibus ac sermonibus cum vicinis et cognatis approperantibus communicaverunt. Florentiam venit pestilentia initio m. Aprilis 1348, et duravit per sex menses. Eius historia, magna pro parte ex Bocatio desumpta, legitur apud Sismondi ¹⁾. In hac urbe, ut ubivis fere, charitas erat mortua. Nonnulli fugiebant, sed frustra. Alii domi se recondebant, edentes ac

1) Sismonde de Sismondi, l. l. p. 248 seq. » Les symptômes de cette peste ne furent pas partout les mêmes. En Orient un saignement de nez annonçait l'invasion de la Maladie: en même temps il était le présage assuré de la mort. A Florence, au commencement de la maladie, on voyait se manifester ou à l'aîne ou sous les aisselles, un gonflement, qui égalait ou surpassait même la grosseur d'un oeuf. Plus tard ce gonflement, qu'on nomma *gavocciolo*, parut indifféremment dans toutes les parties du corps: plus tard encore la maladie changea de nouveau de symptôme, et se manifesta le plus souvent par des tâches noires ou livides, qui chez les uns étaient larges et rares, chez les autres petites et fréquentes (*). — On les voyait d'abord sur les bras ou les cuisses, et ensuite sur le reste du corps. De même que le *gavocciolo*, ces tâches étaient l'indice d'une mort certaine.

(*) *Τοῖς μὲν ἀραιὰ τε καὶ διαφανέστερα, τοῖς δ' ἀμυδρότερα καὶ συνεχῆ.* Cantacuz.

bibentes, dum choreis et musice, quemadmodum cogitationem mortis, sic et mortem ipsam avertere sperabant. Nulla erat auctoritas legum nec divinarum, nec humanarum. Plerique enim, qui muneribus fungi solebant, mortui erant vel moribundi, vel etiam tot ex familiaribus interierant, ut negotiis vacare non possent. Sic unusquisque, quidquid vellet, faciebat ad libitum. Civis civem fugiebat, cognatus cognatum, amicus amicum: et terror tantopere pietatem extinxerat, ut frater fratrem, soror sororem, conjux maritum, imo pater liberos relinqueret, et ab omni cura destitutos, crudeli traderet fato. Sic omni auxilio carentes, famulis relinquebantur avidis, qui, magna mercede conducti, aegrotantibus cibum porrigebant, eorumque morti aderant, ipsis non raro protinus pestilentia corruptis, nec turpi quaestu gaudere valentibus. Pudor evanescebat, et omnis sensus decoris. Non amplius mortuorum corpora, magno sacerdotum comitatu, sub cantu funebri humo mandabantur. Multi efflabant animum, nemine praesente, et perpaucis contingebat felicitas, inter lacrymas consanguineorum e vita discedere. Pro moerore et luctu, nunc risus sonabant et jocus, quibus malum averti posse credebant. Haec apud no-

biliores: verum plebi multo peiora accidebant. Ex iis quam plurimi, sive paupertate, sive incuria, domi remanebant vel in viis proximis, ibique ad millia peribant. Die et noctu multi in plateis vitam terminabant. Multorum mors foetore demum cadaverum putrescentium vicinis nuntiabatur. Contagium metuentes, hi vulgo istorum corpora auferri curabant, et ante habitationis januam collocari, quorum quovis mane, qui forte praeteriret, ingentem cernere poterat congeriem. Non amplius cuicumque cadaveri suum erat ferculum: tria in eodem vulgo colligebantur vel quatuor: et fiebat, quod uxor et maritus, pater et mater, una cum duobus tribusve filiis, in eadem lectica sepulturae traderentur. Interdictum erat numerum mortuorum promulgare, neque campanas movere exsequias celebrantibus licebat, ne superviventes desperationi se dederent. Animalia, aequae ac homines, contagio afficiebantur ¹⁾.

¹⁾ Want op de gemeene wegh eenige verscheurde en versleete lappen van een seker arm man geworpen synde, dien de pest had wegh-gerukt, so hebben bij geval twe verkens de selfde vindende, na haer manier, die eerst begonnen een wijl tijds met haer muylen te keeren en te wenden, daerna met de tanden aen te vatten, en om haer hoofden te slingeren. Waeruyt gebeurt is, dat die selvige korts daeraen, ende na

In insulis Sardinia et Corsica secundum Giov. Villani non tertia pars hominum servata est, Venetiae vix quarta ¹⁾. Cesenum venit morbus m. Junio 1348, neque ante Decembrem discessit. In Italia, trium annorum spatio, numerus incolarum dimidio decrevisse fertur.

Non possumus, quin hoc loco inseramus querelam Petrarchae ex litteris ad Socratem amicum ²⁾:

»Mi frater, mi frater, mi frater!... Heu mihi, frater amantissime, quid dicam? Unde ordiar? Quonam vertar? Undique dolor, terror undique! In me uno videas, quod de tanta urbe apud Virgilium legisti:

eenige rond-omdraeying, niet anders, dan of zij krachtig venijn gedroncken hadden, beyde, met die verscheurde, ongeluckelick ghesolde lappen, dood ter aerden syn gevallen. Vid. Adriaen Ravesteyn: Van de Peste. Delft 1637. De Pest te Florencien naar Bocatius p. 147.

¹⁾ Numerum in hac urbe mortuorum fuisse 100,000, affirmat Odo-ric. Raynald, Annal. ecclesiastic. colon. Agripp. 1691. Vol. XVI. p. 280.

²⁾ Epist. de reb. familiar. Lib. VIII. c. 7. p. 773. Apud Petrar-
cham legimus de consumptione carniū ad ossa usque, dum non loqui-
tur de bubonibus: »Hanc plagam (Lib. X.) excepit sanguinis profluvium,
inaudito genere cruciatus infinitos absumens, denique sacri ignis adustio,
carnem ad usque ossa penitus conficiens: adeo ut etiam mortuorum in-
vadens cadavera insepulta, carnes, antequam sepeliri possent, consu-
meret.»

» Namque crudelis ubique

Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.»

Utinam, frater, aut nunquam natus, aut prius extinctus forem!... Hic annus non solum nos amicis, sed mundum omnem gentibus spoliavit. Cui si quid defuit, sequens ecce annus illius reliquias demetit, et quidquid illi procellae superfuerat, mortifera falce prosequitur. Quando hoc posteritas credet, fuisse tempus, sine coeli aut telluris incendio, sine bellis aut alia clade visibili, quo non haec pars aut illa terrarum, sed universus fere orbis sine habitatore remanserit? Quando unquam tale aliquid visum, aut fando auditum: quibus hoc unquam annalibus lectum est, vacuas domos, derelictas urbes, squalida rura, arva cadaveribus angusta, horrendam vastamque toto orbe solitudinem? Consule historicos; silent. Interroga physicos; obstupescunt. Quaere a philosophis; humeros contrahunt, frontem rugant, et, digitulo labris impresso, silentium jubent. Credes ista, posteritas? cum ipsi, qui vidimus, vix credamus, somnia credituri, nisi experrecti, apertis haec oculis cerneremus, et, lustrata urbe, funeribus suis plena, domum reversi, exoptatis pignoribus vacuum illam reperientes, sciremus utique vera

esse, quae gemimus. O felicem populum pronepotum, qui has miserias non agnovit, et fortassis testimonium nostrum inter fabulas numerabit!"

Jam anno 1347 nonnullae urbes Franciae meridionalis maritimae morbo invadebantur. Anno sequenti per totam Galliam et Germaniam vagabatur: in hac tamen maximam edidit stragem anno 1349. Huius demum anni mense Augusto afficiebatur Anglia, dum simul erumperet pestilentia in Dania, Suecia et Norvegia. In Poloniam verosimiliter ex Germania translata est A° 1349, in Russia autem se non ostendit ante annum 1351, id est quinque annos, postquam erumperat in peninsula Kiptschak.

In multis urbibus Galliae, ex viginti incolis duobus tantum parcebat malum. Multi, quasi fulmine icti, prosternebantur, et quidem juvenum et aetate florentium plures, quam seniorum. Quibus in axillis vel in inguine apparebant bubones, vix duos vel tres dies supererant, et ubi ominosa haec signa se manifestarent, spem omnem mittebant aegri. Avinione intra tres dies moriebantur 1400 hominum, et a m. Februario usque ad m. Octobrem circiter 100,000, ita ut Pontifex Clemens VI, qui ibi tunc morabatur,

Rhonom fluvium consecrare cogeretur, quo citius iniici possent cadavera, non sufficientibus sepulcretis ¹⁾).

Aedes regiae non minus, quam tabernae pauperum communi sorti erant subjectae: obierunt Bona, filia regis Johannis Bohemiae, Imperatoris Caroli soror germana, quae nupta fuerat Johanni duci Normanniae, duaeque reginae, quarum altera erat Johanna, Caroli Pulchri conjux, filia ducis Burgundiae Roberti, insigni femina pietate, altera vero Navarrae regina, filia Ludovici X. Parisiis, in nosocomio l'Hôtel Dieu, quotidie 500 cadavera vespillonibus tradebantur ²⁾. Non-

¹⁾ In hac etiam urbe mortua est, pestilentia correpta, Laura, Petrarchae carminibus celebrata, quae nupta erat Hugoni de Sades. Quaedam ad hanc mortem pertinentia inveniuntur apud Sprengelium, p. 62. »Sie bekam zu Anfange ein heftiges Fieber mit Blutspeien verbunden, und es war merkwürdig, dasz, da sonst vor den Pestkranken, alle Menschen, auch die nächsten Verwandten, zu fliehen pflegten, Laura dennoch mit vielen Weibern umringt war, die beobachten wollten, wie man nach einem so musterhaften Leben dem Tode entgegen gehe. Ruhig und sanft war der Tod dieses unsterblichen Weibes, der Zierde ihres Jahrhunderts, von welcher ihr untröstlicher Freund so schön sagt:

» Non la conobbe 'l mondo, mentre l'ebbe:
 » Conobbi l'io, ch'a pianger qui rimasi,
 » e'l ciel, che del mio pianto or si fa bello.»

²⁾ Continuatio altera Chronici Guilielmi de Nangis apud d'Achery: Spicilegium. s. Collectio veterum script. T. III. p. 110.

nullis in locis depopulatio adeo erat magna, ut, quot periissent, non quaereretur, verum quot superessent ¹⁾. Hoc evenit Marssiliae, quae ferme prorsus civibus fuit orbata.

In Germania per duos annos 1,244,400 hominum interiisse affirmat Barnes ²⁾: ibi etiam ubique apparuisse bubones ³⁾, omnes testificantur auctores: non ita de sputo sanguinis: sunt enim, qui de hoc symptomate silent; alii memorant: inter hos Henricus Rebdorf ⁴⁾, cujus tamen auctoritas infirmatur eo, quod mortem subinde ad diem sextum vel octavum dilatam dicit; caeteris omnibus, tali in casu, diem tertium aut quartum, ut ultimum vitae terminum designantibus. In Austria morbus saevissimus erat. Viennae uno die 960, vel, monente alio, 1200 civium obierunt. Magnas hanc ob rem, atque sex numero, faciebant extra urbem fossas valde profundas, quarum singulae 40,000 cadaverum recepisse ferun-

¹⁾ Vitoduranus in chronico apud Eckhard, Corp. Hist. med. aevi T. I. p. 1075. amb. cit. a doct. Delprat: »De Merkw aardige cholera- of Pest-ziekte van de XIV eeuw." Vid. Vaderl. Letteroefeningen.

²⁾ Cf. Spreng. p. 66. Hic tamen de veritate dubitat.

³⁾ Die lüte sturbent alle an bülen, und an trüsen die sich erhubent under den Armen, und oben an den beinen. Jac. von Königshoven ap. Heck. p. 8.

⁴⁾ Cf. Hecker p. 8.

tur. ¹⁾ Ejusmodi quoque fossis utebantur Erfurtii: erant ibi undecim, quarum quaeque ad millia continere poterat cadavera. In Westphalia tot perierant, ut numerus superviventium non sufficeret ad mortuos sepeliendos. Sunt, qui annotant, periisse Carthusiani ordinis monasticos 124434 ²⁾.

Similiter in patriam nostram suum extendisse hunc morbum furorem, quaedam, etsi pauca, extant testimonia ³⁾. De eius effectibus in Transisalaria scripsit Brumanus ⁴⁾: »Atroce pestilentiam, quae veteris Atticae divitatem hominum memoriae referebat, tanta fames secuta fuit circa ea tempora, ut impurorum animalium cadavera hominibus alimentum praeberent, matresque infantibus ad ubera mortuis vescerentur, quod licet fidem excedere videatur, diserte in vetustis monumentis repperi.» Pontanus dicit, morbi vim

¹⁾ Anonym. Leob. chronic. ap. Pez p. 971. »Ich glaube eher vier Tausend» addit Sprengelius p. 76.

²⁾ Spangenberg, Mansfeldische Chronica, f. 339.

³⁾ Chronicae ab Alb. Snavel compilatae apud Gerh. Dumbar. T. III. p. 634.

»Ter C milleno junctis octo *nonageno* ^{*}
Esse memor cures, destruxit mors cito plures.»

^{*} Hoc enim erat in illa, qua nos usi sumus editione, verosimiliter ex errore typographico, nam doct. Delprat, qui eundem locum citat, habet *quadragenno*. Vid. p. 11.

⁴⁾ H. Brumanus, Res Transisalariae ap. Dumbar, Analecta. T. II. p. 117.

et contagium fuisse tantum, ut, spatio quinquennii, in Europa tertiam hominum partem absumpserit ¹⁾. Inter provincias, caeteris infeliciores fuisse videtur Frisia, ubi stantes euntesque conciderent homines, repente extincti.

Dum caeteris in terris vulgo per sex menses moraretur Mors Nigra, in Anglia per annum integrum, a m. Augusto 1348, ad eundem mensem anni 1349 observata est, cui malo mox iungebatur ingens inter pecora ²⁾ lues. Londini jacturam hominum fuisse plus 50,000 affirmat Wood ³⁾: cadavera, aequae ac in Germaniae urbibus, magnis acervatim recondebantur fossis. Scotia fortasse salva remansisset, nisi eius incolae, calamitate Anglorum ad invasionem faciendam abuti volentes, in se ipsi diram pestilentiam attraxissent ⁴⁾.

¹⁾ Incepit A^o 1347: neque quinquennio cursum absolvit, ut probat haec relatio Pontani, p. 283: »Orta inter haec pestilentiae lues, magnam inter mortales, his in Gelriae eique vicinis Brabantiae Flandriaeque partibus, stragem fecit anno 1367.

²⁾ Ant. Wood, Hist. et antiquit. Universit. Oxoniensis. Oxon. 1764. Lib. I. p. 172. Idem de haemoptoe mentionem facit, uno die vel duobus letali, et de bubonibus, circa finem pestilentiae nonnumquam criticis.

³⁾ Notante Knightonio haec epizootia prae aliis afficiebat oves.

⁴⁾ Schottland wurde Anfangs so wenig heimgesucht, dasz die Schotten eine Zeit lang »by the foul dethz of Engelond" schwuren. — De symptomatibus in Anglia manifestis monet Barnesius, morbum incipere bubonibus in axillis: sequi dein validum sanguinis sputum, maculas et vi-

Diuturnior adhuc illa in Hispania fuit, quamvis minori hominum jactura, quam in Italia. Per duos annos regnabat pestis, 1348—1350. Mense Martii hujus anni corripiebat Alphonsum XI, unicum ex Europae regibus, quem e vita sustulit. De hac caeterum regione breviores sunt, quos consulere licebat, historici.

In Europam septentrionalem penetravit pestilentia a^o 1349. In Norvegiam eam transtulit navis Anglica, ejecta ad urbem *Bergam*, Norvegiae metropolin: pro viventibus non nisi cadavera in hac navi inventa fuerunt. Tertiam tantum incolarum partem malo supervixisse, invenimus apud Sprengelium ¹⁾. Idem fuit in Dania, ubi *den sorte Dod* dicebatur morbus. Sueciam visitavit a m. Novembri 1349, usque ad finem anni 1350:

bices nigras: intra sex horarum spatium extincti saepe erant aegri: qui tertium viderent diem, iis spes quaedam salutis: sed ex his quoque multi in profundum incidebant somnum, ex quo non amplius expergiscebantur. Vesiculae nigrae certa erant morbi insignia, et, his per totum corpus sparsis, duris et siccis, nullamque materiem evacuantibus, conclamatus erat aegrotans. Cf. Wood l. l. Bubones sequentibus designat nominibus Barnes (the History of Edward III. Cambridge, 1688. fol. p. 432.) Knobs or swellings in the groin, or under the armpits, called kernels, biles, blains, blisters, pimples, wheals or plaguesores.

¹⁾ P. 70. Citat ille Torfaeum Histor. rer. Norvegic. P. IV. Lib. IX. c. 8. p. 478. Cf. Hecker p. 10. qui ubique cum sputo cruento conjunctam fuisse pestem, addit.

appellabatur *Digerdöden*, quoniam mortuorum corpora carbonem aequarent nigritia ¹⁾).

In Polonia, ubi ex Germania acceperant morbum, (incepit m. Januario 1349), haemoptoë insigniebatur, et vix quartam hominum partem evasisse legimus ²⁾).

Ut in Suecia, Norvegia, Dania, sic etiam in Russia bubones initio morbi non memorantur, imo non ante annum 1260 de iis mentionem fecit Richter ³⁾), et expressis verbis dicit, in priori illa epidemia non apparuisse. Opinatur Hecker veritati hanc assertionem minus esse congruam, quum pugnet cum aliis de Europa occidentali observationibus ⁴⁾. Invasit Mors Nigra Russiam anno demum 1358, neque quod tardius veniret, venit mitius. Strages horrenda hic ut ubique fuit repetita: non repetemus ejus narrationem.

Sic, omnibus pervagatis regionibus, ad punctum, unde initium duxerat, revertit hic morbus,

¹⁾ Kurt Sprengel ex Loccenii *Histor. Suecan.* Lib. III. p. 104.

²⁾ Cf. Hecker, *Secundum Dlugoss Longini Histor. polonic.* Lib. XII. Lips. 1711. fol. Tom. I. p. 1086.

³⁾ W. M. Richter, *Geschichte der Medicin in Russland.* Moskwa, 1813: 8. s. 215.

⁴⁾ Vid. Hecker, p. 11.

postquam, ex probabili conjectura, 25,000,000 hominum, i. e. quartam Europae incolarum partem, in cursu suo corripuerat.

Recurrit crebro, multis denuo praegressis phaenomenis, iis similibus, quae supra memora-
vimus. Et quidem primo anno 1361, minori
autem saevitia ¹⁾. De hujus anni pestilentia se-
quentia habet Muratori ²⁾: »Eodem anno de
mense Junii incepit morbus sive mortalitas
maxima in civitate et districtu Placentiae, quae
duravit fere per annum, et similiter fuit per
totam Lombardiam. Ex quo tertia pars et ultra
gentium utriusque sexus et aetatis civitatis et
districtus Placentiae defecerunt. Morientibus
quibusdam apparebat humor coagulatus in mo-
dum cuticellae sub asellis vel in inguinibus, et
aliquibus apparebant pustulae sive apostemata

¹⁾ Prima (1348) duplo plures sunt interempti, quam servati, nullo paene superstite, qui prehensus foret. Altera (1361) occisi tam multi, quam qui superfuerunt, sanatis paucissimis, quos malum affligisset. Tertia (1373) X quisque obiit, multis ex malo curatis: haec vero quae quarta est, (1382) XX quemque interficit, quam plurimis evadentibus. Chalini, l. l. p. 53.

²⁾ Muratori XVI. p. 505. Licet ex Chalini verbis supra citatis appa-
reat, morbi vim sensim esse imminutam, ex iis Muratorii simul patet,
hoc anno revera symptomata adfuisse, Morti Nigrae propria, atque ideo
illius limites intra annos 1347—1350 ponere non possumus.

in circuitu capitis post aures, et aliqui spuebant sanguinem putridum, quod erat pessimum signum. Et istos omnes febris acuta aliquando praecedens, aliquando succedens, suffocabat infirmos, secunda vel tertia die subsequente, et ex istis sic signatis valde pauci evadebant, illi praecipue, qui in inguinibus signati erant. Apostemate cum ferro aperto, et putredine vacuato, sanabatur infirmus; et talis morbus per totum mundum est dispersus.³ Nec Galliae pepercit, ut docemur relatione Mezerai¹⁾: »Ceux, qui se pouvaient garantir de ces misères, ne sçavoient ou trouver d'asyle contre la peste, qui, depuis sept à huit ans, se rengregeant à diverses reprises, frappait indifféremment toutes sortes de personnes dans les villes et dans les champs. Il en mourût cette année neuf cardinaux et septante prélats dans dans la cour du Pape, et plus de trente mille personnes dans Paris.»

De Epidemia sequenti haec notat idem auctor²⁾: »Deux grands fléaux, la famine et le mal des Ardents, qui le plus souvent prenait

¹⁾ l. l. p. 63.

²⁾ l. l. p. 92.

en l'aisne, tourmentèrent la France, l'Italie et l'Angleterre cette année 1373" 1).

Efficitur ex omni hujus morbi historia, fuisse eum pestem orientalem, in qua prae aliis organis afficiebantur organa respirationis, unde dolor pectoris, spiritus foetidus, sputum cruentum, caet. Contra hanc autem sententiam arguebat Cl. Haeser 2): 1°. Mortem Nigram non fuisse ortam in Aegypto, pestilentiae orientalis patria, 2°. non secutam fuisse puri contagii leges, sed miasmate potius dispersam, 3°. In regionibus septentrionalibus apparuisse sine bubonibus, semper cum sputo sanguinis. Ex quibus concludit hoc symptoma fuisse pathognomonicum, illud accedens. Nuper autem 3) hanc sententiam revocavit, se antea nondum cognovisse monens documentum Gabrielis de Mussis, quo convictus, bubones habet hujus pestis signum pathognomonicum.

1) De pestilentia Aⁱ 1382. notat Chalinus: illam praecessisse meteora, cometas, insectorum agmina: vagata est per totam Europam. Avinione praesertim Judaei afficiebantur, et epidemiae initio moriebantur imprimis infantes, pueri et juvenes. Prioribus mensibus quatuor dies durabat morbus, postremis, a 7—20.

2) Historisch-Pathol. Untersuch. p. 113.

3) Lehrbuch der Geschichte der Medicin. p. 272. in annot.

Morbi Curatio et Effectus.

Ut ingenium seculi incultum se ostendebat in pestis cura, sic in ejus effectibus crudelitatem credulitati junctam cernemus. Alii animae, alii corpori mederi conati sunt. Ex Cantacuzeni testimonio efficere licet, non sine fructu laborasse priores: nam »nemo,» inquit, »erat tam durus, quin poeniteret illum peccatorum suorum;» et secundum alium auctorem, qui morbo erant correpti, inter quos et pueri, orantes saepe, sacraque carmina canentes, discesserunt e vita ¹⁾. Ad tollendum mortis metum non parum quoque contulerunt ita dictae *indulgentiae* a Pontifice Clemente distributae, summum beneficium,

¹⁾ Spangenberg l. l. 338: »Es ist ein erbermiglicher Jammer gewesen, dabey man sich nichts denn alleine des getrösten gehabt, das sich ein jeder in diesem Schrecken zu einem seligen Sterben hat bereiten müssen, denn da war nichts anders, denn der gewisse Todt, darüber schlug mancher in sich selbst, kehrte sich zu Gott, und lies ab von seinem bösen Leben, und die Eltern warneten ihre Kinder, lereten sie beten, und sich in Gottes Willen ergeben; gleicher gestalt ermanete ein Nachbar den andern, denn da war keiner eine Stunde seins Lebens sicher, und hierüber trug sichs dann gleichwohl zu, dass man die Leute, auch junge Kinder sahe, mit Freuden, etliche betend, etliche singend, von dieser Welt abscheiden.»

quod illis temporibus in Christianos conferri valeret.

Corporis cura non inmerito distingui posset in passivam et activam. Multi enim, qui pestilentiam credebant castigationem a Deo hominibus illatam, medicamenta non solum, sed et omnem spernebant curam prophylacticam ¹⁾. Ad prophylaxin commendabatur *fuga* a Guidone de Cauliaco aliisque medicis, quae pluribus exitio fuit, et multos ad mortem damnavit solitariam. Causam mali praecipue in astris quaerebant medici, et quidem in congressu trium planetarum

¹⁾ In libro Cl. Haeser, Hist. Path. Unters. etc. in appendice p. 535. invenitur documentum ex seculo 16^o, ex quo patet, tunc etiam similem obtinuisse sanitatis negligentiam, ita ut Martinus Lutherus officii sui duxerit eam ob causam cives suos reprehendere et admonere: »Es sundigen,“ sic inquit, »etlich al zu sehr, auff der rechten seiten, und seind also vermessen und keck, das sie Gott versuchen, unn lassen alles anstehen, damit sie dem Sterben oder Pestilentzen weren solten, verachten artznei zu nemen, so die Pestilentz gehabt und auffkommen seind, sonder zechen und spilen mit ihn, wollen damit ihre freydigkeyt beweisen, und sagen, es sey Gottes straffe, wolle er sie behüten, so wird ers wohl thun, on alle artznei und unseren fleiss.

Solchs heisst nicht Got trawen, sondern Got versuchen: denn Got hat die ertznei geschaffen und die Vernunft gegeben, dem Leibe vorzustehen und sein pflegen, das er gesundt sei und lebe. Wer derselbigen nicht braucht, so er wol hat unn kan, on seines Nehesten schaden, der verwarloset sein leib selbst, und sehe zu, das er nicht sein selbs mörder erfunden werde, vor Gott.“ — Dr. Martin Luther, Ob das Sterben zu fliehen sey (Aus J. Eychman's, genannt Dryander, Bedenken von dem ytzigen Sterben oder Pestilenz. Marb. 1554. 12).

superiorum Saturni, Martis et Jovis sub dodecatermerii Aquarii. Illorum imperitiam queritur Petrarcha, ridet Bocatius: morbi saevitiam effectum fuisse affirmans vel naturae mali, vel ignorantiae medentium, quorum numerus quidem maximus, doctrina autem admodum erat exigua ¹⁾. Ipse confitetur Guido, pestilentiam »inutilem pro medicis et verecundosam» vocans, et Chalinus »curationem omnem pestem confirmatam respuere» dicens ²⁾.

Inter ea, quae commendant remedia, apud Guidonem primum locum tenet venae sectio, qua venenosus subducatur sanguis: ad alvum sollicitandam aloetica: aeris dein depuratio ope ignis; theriaca, bolus armeniaca: tum potiones cardiaca, et acida leviora ad sanguinem emendandum; ad promovendam denique suppurationem bubonum adhibebat emplastra et epithemata emollientia.

Maiori prudentia et perspicacitate, Chalinus venam secari non probat nisi plethoricis, junio-

¹⁾ Summo jure monet Heckerus, in pandemiis raro aliquid valere humanam doctrinam vel artem humanam, quum certamen inire debeant cum viribus naturae, quas non cognoscunt, et quas vel cognitae superare tamen non possent.

²⁾ Chalinus p. 33.

ribus et robustis, iisque qui vitam amant lautam, quorumque animus est in patinis ¹⁾. Cucurbitis potius cruentis inflammationem arcere tentabat, et irritationem bubonum hirudinibus moderare; ex iis enim, apud quos venae sectio erat instituta, quam plurimi perierant. Expressis verbis contagium agnoscit ²⁾, simul cum Guidone ³⁾, et Galeazzo di Santa Sofia ⁴⁾ qua cognitione nitebatur consilium fugae, quod certe salutare existere potuisset, nisi adeo generalis fuisset infectio: nitebatur quoque in posterum consilium illud, quo, qui morbo pestilenti erant affecti, a sanis separabantur; cujusmodi decreta edita primum fuerunt A^o. 1374: emendata magis

1) »Qualis esse solet eorum, qui sacerdotiorum et cultus divini praetextu, genio plus satis indulgent, et obsequuntur, ac Christum speciosis titulis eminentes, Epicurum imitantur.» p. 97, 166.

2) Heck. p. 79 in annot. Chalin: p. 40, 188. »Longe plurimi congressu eorum, qui fuerunt in locis pestilentibus periclitantur et gravissime, quoniam a causa duplici, nempe et aeris vitio, et eorum qui versantur nobiscum, vitio. Hoc itaque modo fit, ut unius accessu in totam modo familiam, modo civitatem, modo villam, pestilentia invehatur: et p. 20^a. Solae privatorum aedes pestem sentiunt, si adeat, qui in pestilenti loco versatus est. — Morbos omnes pestilentes esse contagiosos, audacter ego equidem pronuntio et assevero. p. 149.

3) Vid. Heck. p. 74.

4) Quintuplex est huius indicatio therapeutica: 1^o evacuare materiem putridam, 2^o corroborare cor., 3^o diaeta congrua, 4^o depuratio aeris, 5^o curatio bubonum ope epithematum emollientium. Improbabat venae sectionem ad animi deliquium, et medicamentis utebatur mitioribus.

anno 1485 ¹⁾, sensimque perfecta, dum interim ille mos obtineret, quo omnia, ex regione inquinata profecta, per quadraginta dies loco remoto morari cogentur. (Quarantaine).

Ingentem hominum jacturam, quam tota Europa Morte Nigra passa fuerat, multimodis effectus suos dolendos in omnem vitam sociale exercere debuisse, mirum videri nemini poterit, et jam supra ex relatione Bocatii audivimus. Ut erat Florentiae, sic ubique res se habebat. In Anglia per annos quatuor administratio rerum publicarum solito more pergere non poterat, deficientibus civibus, qui aetatem et cetera haberent requisita, ad populum repraesentandum necessaria ²⁾: et illic et ubivis munera negligebantur et professio omnis, nihil vel parum juvantibus divitiis ad vitae commodum et jucunditatem. Quantopere humana consilia generali saepe ejusmodi calamitate irrita fieri possint, testis sit urbs Brema, contra quam copias suas duxerat comes Mauritius ab Altenburg. Cum urbem appropinquaret, emittebat nuntios, qui

¹⁾ Hoc anno in nonnullis Italia locis extra urbes nosocomia ad pestem (Pest-Lazareth's) fuere constructa, ubi per aliquod tempus retinebantur peregrini, qui ex loco venirent suspecto.

²⁾ Carte Hist. of England. V. II. B. X. pag. 475.

ipsi rem miranti reportabant, urbem obsessioni non esse aptam, omnibus patentibus portis. Caussam sciscitans certior fiebat: »ob metum pestis domi se reclusisse cives, urbem e contrario apertam esse et sine ulla defensione.” Et mittebat Mauritius obsessionis consilium, urbi nimirum sat magnam a Deo inflictam esse tristitiam ratus, et memor dierum felicium multorum, quos ibi degerat ¹⁾).

Jubilaeum primum quinquagenarium ²⁾ celebratum anno 1350, ut fuit inter pestis effectus, sic iteratae illius eruptioni praebuit ansam. Magna enim hominum frequentia, Romae congregata, tempore, quo levissima causa ad morbum refocillandum sufficiebat, inquinatus est aer, et ex supplicibus innumeri morti praedae fuerunt. Quomodo fieri posset, ut Pontifex tam prudens, ac caeterum se praestiterat Clemens, et morbi contagium non ignorans, tantam committeret inconsiderantiam, jure miratur Heckerus ³⁾).

Sequela penuriae laborantium fames fuit et

¹⁾ Spangenberg, l. l. p. 337.

²⁾ Vita labitur et decrescit, hinc indulgentias plenarias, quae centenis quibusvis annis celebrabantur, ad quinquagenos reducimus.”

³⁾ Hecker, l. l. p. 38.

esuritio : infelices erant segetes , messorum decurrant : in omnes similiter regiones hoc se extendebat malum : sequentes tamen anni praecedentes compensasse videntur , et non de humi tantum fertilitate hoc valet , sed nunquam tot geminos et trigeminos in lucem fuisse editos , quot primis a peste annis , affirmant auctores ¹⁾. Fama quoque ferebat , ab hoc inde tempore decrevisse pueris dentium numerum , quod repetebant a vi vitali nimis debili , quam quae generaret plures , obliti (sic enim rem explicat Heckerus ²⁾) ea aetate nondum apparuisse omnes.

Nulla unquam fuit magna epidemia , quin eam plebs , causam amans , suo intellectui parem , attribueret veneno . Nec durante pandemia hacce cunctabatur rumor , Judaeos veneno infecisse fontes . Illa suspicione vix prolata , uno quasi momento per omnem spargebatur Europam , atque fiebat praetextus atrocissimae crudelitatis in gentem hanc infelicem , et , hac in re certe ,

¹⁾ Continuat. chronic. de Nangis etc. l. l. p. 110. — »Successit tanta fertilitas ut horrea frumenti acervis disrumperentur , auctaque in tantum domi soboles , ut in inculta domicilia transferendi consilia agitare , necesse habuerint." H. Brumanus rer. Transisalan. l. l. p. 117.

²⁾ p. 41 seq.

innocentem. Verum non est difficile intellectu, cur, postquam semel apud se decreverat vulgus, tanti facinoris vindictam petere, Judaeos eligeret, quos immolaret ferociae suae. Nam praeter odium et contemptum, quod et Judaeorum et Christianorum animis inhaerebat, hi probe sciebant, illorum multos magnas possidere opes ¹⁾, ac non sola plebs fuisse videtur, quae in illos fureret: in multis enim urbibus hac tantum conditione rogum effugiebant, ut nobilioribus omnibus remitterent debita, satis notabilia saepe, et fenerationis non raro effectus. Torquebantur alibi, cremabantur domus. Fiebant haec omnia inhumanitate inaudita, cuiusque pauca exstant in historia exempla. Sed, quod peius est, pietatis velamine tegebantur aviditas et stupiditas ²⁾,

1) »Dies was onch die Vergift, die die Juden döttete. v. Könighoven.

2) Kehrberg, Beschreibung der Stadt Königsberg i. d. Neumark 1724. 5. s. 241. »Coram cunctis Christi fidelibus praesentia percepturis, ego *Johannes dictus de Wedel*, Advocatus incltyi Principis Domini *Ludovici* Marchionis, publice profiteor et recognosco, quod nomine Domini mei civitatem Königsberg visitavi et intravi, et ex parte Domini Marchionis Consulibus eiusdem civitatis in adiutorium mihi assumtis, *Judaeos inibi morantes igne cremavi* bonaque eorundem Judaeorum ex parte Domini mei totaliter usurpavi et assumsi. In cuius testimonium praesentibus meum sigillum appendi. Datum A. D. 1351 in Vigilia S. Matthaei Apostoli.»

cuius nostra etiam patria absolvi non potest ¹⁾).

Avinione magnum illis erat praesidium Clemens VI, qui primum mense Junii 1350, dein eiusdem anni m. Septembri edictum promulgabat in eorum beneficium; sed vel papalis auctoritas contemnebatur a coeca multitudine, et quamquam invitus, indulgere cogebatur furiosae dementiae. Basileae movebatur seditio contra magistratum, quod negaverat vexare et cremare Judaeos. Aedificabatur prope urbem ad Rhenum domus lignea, ubi colligebantur et cremabantur. — Argentorati summum sibi arrogaverant jus laniones: exauctorabatur magistratus, et instaurabatur tribunal, ubi sodalitatis lanioniae princeps duo millia Judaeorum ad mortem condemnabat; ducebantur illico ad sepulcretum, tradebantur flammis, et publicabantur omnia eorum bona. Tantam atrocitatem sistere tentabat Imperator Carolus IV, sed incassum: imo lanionibus plenam polliceri coactus erat impunitatem. Judaeis hic illic vitam promittebant in-

1) Cff. Chronicae ab Alberto Snavel compilatae apud Gerh. Dumberg. T. III. p. 633.

»Ter C milleno minus uno jungitur L que,
 Fine sub Augusti occisi sunt simul usti
 Suollis Judaei prorsus amore Dei.»

columem, dummodo religionem Christianam profiteri in posterum vellent, non reputantes paucas habituram illecebras religionem, quae ferro et igne proximum prosequi suadebat.

Quibusdam interim locis confitebantur Judaei, se revera puteos inquinasse et fontes: naturam etiam veneni indicabant, designabantque eius quantitatem ¹⁾. Quid enim non confiteri compellit tormentum ²⁾? Praeterea adeo erant complicatae quaestiones, ut absurdas quaslibet confessiones ex infelicibus, terrore percussis et nil nisi mortem expectantibus, elicere facile erat. Unde quoque provenit, quod saepe, qui altero die confiterentur omnia, die sequenti, animi praevalente fortitudine et veritatis amore, omnia iterum revocarent ³⁾. Sed eodem redibat; jam ante iudicium morti erant addicti. Cuius rei convicti, una ex ecclesiis Judaicis conveniebat in synagoga, et hac igne accensa, omnes simul interierunt ⁴⁾. Erant matres, qui propriis ma-

1) Cf. Cl. Hecker in appendice p. 96 seqq. Verhöre der Brunnenvergiftung beschuldigter Juden.

2) De omnibus notatur: »er ist ein wenig uff die Folter gebracht.«

3) Vid. p. 101. »Dieser *Mamson* ist den 3^{den} Oct. darauff vor die Commissarien gebracht worden, und hat an dieser Aussage nichts geändert, ohn dass er das Gift in besagten Brunnen nicht gelegt.«

4) Cf Spangenberg, l. l.

nibus infantes praecipitentur in pyram, ne baptizarentur, sequentibus ipsis: namque odio et desperatione extinctus erat amor. Unicum desitutis remanebat perfugium: regio nempe Lithauensis, ubi eos recipiebat rex Casimirus Magnus, precibus commotus amicae suae Judaicae Estheris, unde regio illa adhuc hodie magna inhabitatur Judaeorum copia, praeteritae memorum benevolentiae.

Inter sequelas denique Mortis Nigrae memorabiles, ultimo loco referri meretur secta quaedam in Hungaria ¹⁾ orta, cuius fratres *Crucigeri* vocabantur et *Flagellatores*. Crucigeri nimirum, quod crucibus rubris a fronte et a tergo erant signati; Flagellatores vero, quia bis se palam de die, semel de nocte clam nudos ad sanguinem usque flagris caederent. Nemo in consortium admittebatur omnino inops; nemo nisi peccata sua confessus, poenitentiamque pollicitus; et si maritus esset, assensus requirebatur uxoris. Coepit se illis jungere ex omni ordine et aetate magna hominum colluvies, et in his extorres,

¹⁾ Die Chronica van der hilliger Stat van Coellen, off dat tzythoick. Coellen 1499. fol. S. 263. »In dem vurss jair erhoiff sich eyn alzo wunderlich nuwe gesellschaft in Ungarien" u. s. w. Cf. Heck. p. 44. in annot.

fugitivi, seditiosi, decoctores, adulteri et scortatores, et qui, aere alieno pressi, foro cesserant: nec rejiciebantur foemineae sexus adulterae et scorta, aliisque flagitiis infames. Sacerdotes ac Euangelium et rem divinam, ipsumque corpus Domini minus reverebantur. Praecipue suae fidebant insaniae. Asserebant enim inter alia, si quis se ipsum incesset, ac eam flagellationem per dies XL continuasset, omni crimine esse purgatum, omnemque illi culpam ac poenam remissam.

Haec autem Flagellantium societas, postquam e superiori Germania, vel, ut alii, ex Italia in Gelriae Belgique regiones devenisset, effudit se exinde in Galliam et oras ibi vicinas. Ubi postremo, cum absque publica Pontificis auctoritate esset coepta, consilio et opera praesertim Clementis VI, dissipata inhibitaque in totum fuit.

Quamvis, qui sectam probabant, hoc in laudem eius referebant, occasionem praebuisse pluribus remittendi homicidiorum, irae, invidiae, atque inimicitiarum culpas, ac bona injuste possessa dominis suis restituendi, cum alii, a quibus culpabantur, simulatam pietatem arguerent, ac gradum struere ad pejora dictarent, praesertim cum etiam sanguinem, quem verbere

flagrorum fundebant, martyrum sanguine haud inferiorem depraedicarent. Unde et sublata societas edicto Pontificis videtur, licet res ipsa hodieque ¹⁾ in Ecclesia Romana superstes maneat, ac certis etiam anni festis exerceri eam a quibusdam publice constet. Libet haec claudere verbis Crantzii: »*Secta flagellantium vehementer increvit per provincias; incertum quo auctore primum instituta, nisi illo, qui, ceteris non vigilantibus, traditur Euangelio supereminasse Zizania* ²⁾.

Fraternitati non multo magis favet, quem supra citavimus Joannes de Beka, cujus hoc loco sequatur relatio: »In dien tiden, als in den jaer ons Heeren CIOCCCXLIX gesciede een sonderlinge wonder, want daer quam een volc, dat niemand en conste die waerheyt vernemen, wie si waren, of in wat lande dat sy 't eerst begonsten, ende sonder oirlof des Paus, ende der heyligen kercken. Dese luden nayden cru-

¹⁾ Wie tief diese Manie gewurzelt war, zeigt die gerichtliche Aussage eines Nordhäuser Bürgers (1446) dass seine Frau, im Glauben, ein christliches Werk zu thun, ihre Kinder so gleich nach der Taufe habe geisseln wollen." Försteman. cit. ab Heck. p. 47. — Quodammodo tamen suspectus nobis videtur error ille religiosus, et fortasse modica verberatio ipsi matri inflictæ, optimum fuisset recidivi praesidium.

²⁾ Pontanus, l. l. p. 261.

cen op hoer hoeden, ende cleder, namen bedevaert ane, die duerde xxxiii daghe. Dese ginghen met crucen ende mit vanen, ende songen lofsanc Gode ende onser Vrouwen; ende elckes daghes ontclede si hoer tweewarf; sonder horen hoet, caproen, behilden sie aen, ende hoer broec, ende beneden scorten si een linnen kleet om hem, dat was lanc van den avel ter aerden toe, en daer boven bleven si al naect, ende sloegen hem mit gheselen, so dat si seer bloeden, ende songen dan ¹⁾:

» Nu slaet u seer

Door Christus eer

Door God so laet die sonden meer.”

Ende als si hem gegheselt hadden, so ginghen si voort in een ander kercke, en ginghen hem gheselen, ende nergent sliepen si den enen nacht, daer si den anderen gheslapen hadden. Ende veel luden, die dat saghen, worden beroert mit grooten berouwe van hare sonden; ende namen die bedevaert mede aen: leken, clercken, Papen, monicken, ende ooc sommighe Bisscoppen. Mer die Priesters waren, en gheselden hem niet openbaerlicken. Hier of gescie-

¹⁾ Cf. Heck. in appendice p. 90: ubi integrum invenitur carmen.

den vele dogheden, want dese gheselbroeders maeckten veel soenen van dootslagen, of van striden, ende van menighen swaren veten, die te voren niemant besoenen mochte. Dese gheselbroeders sloegen die Joden doot, waer dat si se vonden, die niet Kersten wesen wouden, ende waenden, dair Gode lieve mede te doen, dat nochtans in onser wet verboden is. Ende want daer veel erroers in gesciede, so verboet die Paus, dat men dat niet meer doen en soude. Men seyde, dat een prophete propheteerde van desen volcke langhe te voren aldus: »*Veniet gens sine capite, et flagellabit se pro peccatis suis.*» Dat is te seggen: »*Daer sal een volck komen, sonder hoeft, ende sal hem gheselen overmits sine sonden.*» In den selven jaer wert een sterfte van volcken so groot, dat men meende, dat in al Europen, rume die helfte van den volcke bleef. Ende sommighe steden storven al heel uyt mit allen. Mer of dese plaghe yet was in Asien, of in Afriken, des en weet ic niet" 1).

Ex his et aliis, quae de fratribus flagellanti-

1) Matthaeus, l. l. p. 240. Anno 1260 in Italia similes exstitisse flagellantes legitur apud Monachum Paduanum. Cf. Heck. p. 46. Inter hos pueri erant annorum quinque. Novae oriebantur sectae annis 1296 et 1334.

bus scriptis sunt mandata, patere videtur, hanc sectam initio fuisse compositam ex hominibus poenitentibus, et Deum iratum placare cupientibus ¹⁾: postea autem his se junxisse maleficos et cujuscunque generis improbos, qui signo crucis abutebantur, quo tutius libidini et licentiae indulgerent: plurimis denique quasi instrumentis usos fuisse nobiliores, hoc modo potentiam semper crescentem clericorum imminuere conantes.

Licet igitur *Mors Nigra* multas pepererit calamitates, et fateri cogamur delictorum incredibulum fuisse praetextum, non praetervidendum est, historiam nil nisi ea referre, quae faciem rerum mutant, earumque cursum conturbant. Et haec est caussa, cur adeo frequenter vitium ejus annalibus celebretur, quum silentio virtutem praetereat. Quando tamen huic ostentatur opportunitas adeo idonea ad praestantiam suam vindicandam, quam ipso tempore, quo illud impudenter extollat caput et victoria gloriatur sua? Vidimus fuisse matres, quae liberos

¹⁾ Apud Kurt Sprengel, p. 112 et 113. plura leguntur fragmenta carminum, quae durante flagellatione intonare solebant, quaeque omnia animum indicant, peccatorum conscientia depressum.

deserent; quot autem, mortis aspectu non absterritae, materno amore desertos prosecutae sint, ignoramus. Non ignorat Ille, qui totus Amor est, Quique misericordia magis, quam sacrificio delectatur.

FINIS.

30
17

Instans videtur iudicium totum, ut peris-
cios tantum essent, hanc pestilentiam ha-
bulas, opinatur.

17

— Hactenus Kinnemann (Erklärung in der Arznei-
kunst p. 93) "födet auf dem
Vermögen auch den Willen, das Wahre zu sa-
hen"

17

— "Falsch ist die Philosophie nicht die
Aberglauben"

THESES.

I.

Non facimus cum iis, qui Mortem Nigram et Choleram Asiaticam eiusdem generis morbos dicunt.

II.

Ordinis Flagellatorum origo ex seculi genio explicanda videtur.

III.

Infelix Mortis Nigrae, ipsius eruptionis initio, curatio, morbi naturae magis, quam Medicorum imperitiae attribuenda est.

IV.

Iniustum videtur iudicium eorum, qui perniciosos tantum effectus hanc pestilentiam habuisse, opinantur.

V.

Recte Zimmerman (Erfahrung in der Arzneikunst p. 93). »Der Aberglaube tötet mit dem Vermögen auch den Willen, das Wahre zu sehen.»

VI.

False idem: »Die Philosophie allein heilt den Aberglauben.»

VII.

In morbis inflammatoriis et nervosis, summi est momenti, attendere ad modum, quo aeger decumbat.

VIII.

Auctum hepatis volumen sequela potius, quam causa vitiorum cordis est dicendum.

IX.

In oculi vel palpebrae inflammatione, hirudines nunquam in proximitate oculi applicentur,

X.

Omnis artis medicae vis posita est in formanda iusta et legitima indicatione.

XI.

Excretorum investigatio in morbis sine detrimento negligi nequit.

XII.

Improbanda tamen methodus medicorum, excrementa omnia gustu explorantium.

XIII.

Errant qui statuunt, hiemem minus, quam caeteras anni tempestates, haemoptoën inferre.

XIV.

Sola rubedo nunquam sufficere potest, ad demonstrandam ventriculi inflammationem praesentem.

XV.

Tarantismus aevo medio, phantasiae potius depravatae, quam morsus insecti venenati erat effectus.

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..



